

III.
NEOVIDENSIS
Nro. 93. (Neovidensis 1807. Nro. 94.)

Sermo Politicus.
De progressu temporis variantis.

Elysium-Meum.-Die Veneris 4. Dec. (Neovid, 20. Nov. 1087.)

S e n t e n t i a.

Tempora mutantur, ut nos mutemur in ipsis.

Experientia Cap. I.

At quid si lente progrediantur? tum pedetentim procedendum; quid si citato cursu ferantur? eorum veloci pede currendum; quid si cancerino passu moveantur? tum cancerorum more antrorsum retrorsum sumenda via est; si devastent, si opprimant quaeque, Superi! quid tum agendum suppetit? devastationi renitendum est; aequiforini, cum tempore, gressu proficiscendum.

Notatu dignus temporis articulus, quo hodierna Monarchiae Borussiae constriictio in excelsa Friderici Unici gloria sita existimatur, ita sonat:

„Status Borussicus cecidit, verum Borussiae Imperantem sinistra evexit fortuna; si injuste bellum orsus, tum ratione, qua id gessit, confecitque decuplo compensavit. Et

posteri belli pacisque causa locum, vicinum victori suo, in aede gloriae et honoris assignaturi sunt, quo ipse ille jam de praesenti eum dignum censet. Ejus fortitudo animi, alacritas, candor, fidesque, prorsutitudo, qua jacturam — occasione jacturae — fert, cessiones, et Ordinationes, quas suscipit, activitas, quam, nihil morante factorum, et adversitatum sensu, adhibet, ad salutem, restitutionemque illius, quod salvari, restituique adhuc valet, procurandam; — ipso ferme illo temporis articulo, quo indefinitam jacturam subit, — quis ita sensus nobilis, excelsi, digni, expers esse posset, qui in hoc nobilem, excelsum, dignum laude virum non agnosceret? vere jure meritoque ullo alio Imperante Fridericus Wilhelmus dicere potest; omnia praeter honorem periere, omnia inquam, solum honor, et quae honore praestat, altioris indaginis aestimatio, omnia, quae aestimari queunt, salva sunt; dicet: multifaria et extensior occasio bene agendi, populorumque meorum animos promerendi lucrifacta est.

Fridericum Wilhelmum sors tangere debuit, ejus sub regimine Borussiae fatum imminuisse, quod ei olim destinatum erat, quod proin citius tardius eam afficere debuit. Ipse magnus Fridericus, cujus nomen hodie incessanter invocatur, ipse ille est. qui hoc fatum praeparavit.

Pauci quidem memoriam excelsi hujus principis, vere magni viri, majoris facient,

quam nos id facere contendimus; id nihilominus nos a iudicio vero, iustoque non impediatur.

Magnus Fridericus fuit, ita de veritate convicti contendimus -- qui Borussiae ad eam naturae adversantem statum collocavit, quem diu sustinere non potuit. Is successoribus Monarchiae Borussiae quasi proprium, et ad eam pertinens reliquit, quod tamen solummodo effectus personalis ejus virtutis, proin ei tamquam Individuo proprium erat, in relatione ad maximos Europaeos Status dirimentem sententiam ferre, et de quibusvis majoris argumenti negotiis partem habere; ille fuit, qui per id eam aemulationi omnium majorum Europaeorum potentiarum exposuit, quae in eo usurpationem quamdam invenere nequaquam sicuti et viribus ejus congruam; cum sui memoria notionem quoque interni sui roboris, et externa auctoritate vilipensionem Galliae, diffidentiam, et odium in Austriam, transcripsit, sublimem conceptum perfectionis internae sui status administrationis; complementum, et exemplaris rei suae aereariae ratio, invincibilis Borussiae Tacticae status, insuperabilis exercitus, quo impetrabatur, ut in eadem, quae ante quinquaginta annos obtinebat, statione subsistendum fuerit, et qui in effectum deducendo se pares senserunt, molimina, quae Imperantes et adjuncta Borussiae longe excesserunt. Quamcunque Fridericus II. etiam videri possit, id tamen instituto tranquilla mente examine fa-

tendum: ab eo nihil in effectum deductum fuisse, nisi Gallia eorum politicis in tenebris versata fuisset, quibus circumfundebatur; discrimen hoc inter tempus praesens et praeteritum non agnatum esse, ejusque rationem non habitam, princeps error est, qui Borussico regimini objicitur; verum erant consecraria fixarum idearum a Friderici aevo descendendum, quae cum ejus memoria in militari, civili re, et — cur fieri non posset, dicique deberet — in ipsis administrandi rationibus, et in his potissimum fortassis, a prioribus ad posteriores transiverunt.

Ita in effectis evectiois nimis quam saepe causa subest ruinae; quodque magnum et beatitudinem adferens praedicamus, id ipsum tam per admirationem et venerationem, quam per ipsos ceu beatitudinem concilians effectus semen infortunii evadit.

Tractatus pacis Chronopolit. Borussiam naturaliori quam ab origine sua habuit, sicuti restituit; et ex hoc nova altioris verae felicitatis periodus pro ea consequetur, ita plane privatus, per ingenium fortunamque evectus, ad originariam et primaevam suam mediocritatem retrusus bene se habet, tandem beatiorem, ac olim, vitam agit.

Quantopere potius hodiernus Borussicae Monarchiae status, indoli mentis et animi Imperantis sui convenientior accommodatior est? qui in restrictione promotus, subditorum suorum felicitate suam reperit; quo minus Borussia in politicis rationibus auctoritate

valet, eo magis illustris ejus princeps par erit attentionem & operam suam cum ad finem convertendo; hac ratione fieri paullo post poterit: ut cruore & cadaveribus oppletis campis benignior sol illuceat, & iis novus elegantiorque Status superstruatur. Putrida & valide quassata publica conpages fini respondentem, et plenam subibit mutationem: infirmato corpori nova vita indetur, et novus procreatus benignus motus, atque efficacia ubivis orietur, altioremq; beatitatem producet.

Eapropter vota quorumvis cordatorum patriæ humanique generis amantium -- seu id ex læto seu doloroso sensu promanet, eo dirigantur, et conspirent oportet: ut hæc pax primum tantum reapse in effectum deducatur, et durabilitatem nanciscatur; quod postremum, in ratione totius, princeps scopus illius fuit, qui hujus pacis auctor fuit, atque in condenda pro Europa pace summum sibi gloriam esse palam pronunciabat; profecto encomio dignum consilium! cui, si modo in effectum deductum fuerit, amplissimæ gratiæ debentur; etenim: quæ regio Europæ tranquillitatis non est indiga? cedo familiam, indicatugurium, quod avidos quietis ad Cœlos spiritus non tolleret.

Ad hunc finem utique illud præprimis necessarium foret: ut rerum ordo, quatenus per pacem confirmatus, aut deo stabilitus est, in externa sua forma inconcussus in interna eatenus benignus reddatur, quatenus id

impetrari potest. — Quod ut evenire possit necessum videtur: ut pax non modo super toto continente, verum & maribus tranquillitas non solum super Europa, sed & reliquis orbis partibus, quatenus eidem junguntur se diffundat; opus esse videtur: ut mutationibus, & continuis vicibus regiminum & administrationum terminus figatur, milesque tandem ligonem armorum loco tractandum suscipiat.

Anglicana nova per Gallias.

Londino 3. Nov. Plurimæ naves expeditionis navalis Admiralis *Gambier prout & Danica Classis* portus subivit nostros.

D. Sidney Smith hesterno longum colloquium habuit cum membris Admiraltatis; de nova expeditione navali consilia agitabantur, publico ære multæ vectoriæ, quæ copiæ imponendæ, conducebantur.

Camera Commercialis Interdicto merces gallicanas invehere vetuit, cui ipsa vina, & spirituosus potus ex Gallis venientes subjiciendi, at brevi post Anglia nullum vinum ex Portugallia perceptura; solum Maderensis adhuc investio indulta, quod tamen non ea copia crescit, ut sitim Anglorum vini potatorum restinguendo sit; ex quo suapte consequi debet diuturna a vino abstinencia, aut rectius dicendo jejunium in vino.

G a l l i a.

Parisiis 16. Nov. Monitor hodie indicat: Anglicanum Gen. Ducem *Moore* cum 7. pedesribus legionibus *Messinæ* naves conscen-

diffe, hanc expeditionem turbine die 26. Oct. dissipatam, navem bellicam pluresque vectorias ad oram Siciliae interiisse.

Ex Fonte bellaqueo die 14. Nov. Numerus hospitem minuitur, & aula propediem decedet. Jam Princeps Primas, & Dux Saxo Coburgicus Parisios petivere. Ex Principibus Germaniæ Magnus solum Dux Herbipolitanus, Princeps regnans Domina Lippe, & duo hæreditarii principes Megalopolitani continuo hic versantur, & quotidie in aula comparent. M. Dux Herbipoleos arcem incolit, mox hospitium suum revisurus, & communi honore afficitur. Singularem quoque ratione honorifice excepti hæreditarii principes Megalop. & princeps regnans Domina Lippe in urbe degentes quidem, sed omnibus acrobasis, saltibus et Musicis aulicis adhibiti, cumque Sua Majestate pransi. Omnes Imperatricem Parisios prosecuti, plures et exteri principes.

H i s p a n i a.

Madrito die 1. Nov. Princeps Asturiæ carceri mancipatus est. Besterno diversorum Collegiorum membra convocata ad Conventus ordinarium locum et præter ordinem Concilium celebrandum. In hoc sequens *Rescriptum* promulgatum: „Divina providentia, quæ cunctos filios suos paterno sinu complectitur, nequaquam foeda admittit facinora, infelicibus victimis destinata. Ejus Auxilio et ope atroci ereptus sum fato, populus meus, subditi mei orbis universus Religionis, quam profiteor, ordinis, quem in agendo sequor, notitiam habent, eduntque

argumenta cultus, quo filii parentibus obstrin-
guntur; securus in medio familiae mea vitam egi,
cum ignota manus foedissimam, & inexpecta-
tissimam, quæ in palatio meo adversus caput
meum dirigebatur, proderet conjurationem; vi-
ta mea, peræpe disorimini objecta, gravis suc-
cessori meo visa est, qui præconceptis opinionibus
abreptus, cæco actus impetu, omnium,
quæ religio, parentalis sollicitudo amorque in-
stillavere, præceptorum immemor, consilium
me solio deturbandi amplexus est. Ipse de ve-
ritate hujus facti certior fieri volui, at eum
in conclavi meo deprehendi, acta conspira-
tionis, & provocationis, quam a malevolis
obtinuit, ei ob oculos posui; ad strictius examen
instituendum Gubernatorem Consilii accivi,
eumque reliquis ministris adjunxi, ut maxima
quam argumenti gravitas deposcit solertia in
negotium inquiratur; Omnia in effectum de-
ducta sunt, diversi correi constant, quos
comprehendi jussi, locus custodiæ filii mei
ejus habitatio est; dolor hic anxietatem meam
auget, ast quemadmodum maxime animo sen-
titur, ita præcipuo modo defensione opus habet,
Jubeo id circo: ut Inquisitionis Capita publi-
ci juris fiant; quippe subditis meis nequa-
quam æquitatem curarum mearum celandi
mihi mens est, quorum dolor lenietur, si
quævis legitimæ probæ eis perspectæ fuerint.
Hanc meam voluntatem vobis significo: ut
eam conveniente forma publicam reddatis.

S. Laurentii 30. Oct. 1807.

Subscr. Interim Gub. Cons.